

L.

יהוָה נָתָן

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
DE
PATIENTIA
STOICORUM,
QUAM,

*Consensu Amplissimi Ordinis Philosophici,
In Regia Academia ad Auram,
Publice disquisitioni offerunt*

PRÆSES
MAG. J A C O B U S
ALANUS,

*Regis Regnique Svioniæ Amiralitatis Carol. Cor. Eccles.
V. PASTOR,*

ET
RESPONDENS
JOHANNES M. HAGERSTEIN,
OSTROGOTHUS.

Die VII. Decembr. An. MDCCL. in Auditor. Maj.
Tempore ante meridiem solito.

ABOÆ, impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB. MERCKELL.

Kongl. Maj:ts
TRO-TIENARE och LIEUTENANT,
Högvälborne BARON,

**HERR GUSTAV
REINH.
REHBINDER,**

Höggnstige HERRE.

Förde larne af de egenskaper, med hvilka menniskiorne s(j)älar äro prydde, fordra, at deras eftersimnande bör sträcka sig så mycket högre, som deras förmohn fram for andra, på jorderymden befinteliga creatur är större. Och vore intet onskeligare, att at alle vittre menniskior ifrån vettenskapernas första urqväds tima detta hade efterlinnat. Men det synes, ty värr! liusligt af tidernas rön, at sådant icke skiedt. De fordna vishets älskare, hafva härutinnan fast ofta tagit dryga felsteg, som i närvarande arbeta korteligen vises.

M:in

Min skyldighet fordrar, tā theftta lemias til almänt
omdöme, at det samma Högvälborne Herr BARON
och LIEUTENANTEN, som ett teckn at min ödmjukaste
tackfamhet upoffra. De ovedersgelige prof af
högprisvärld ynnest, som jag ständigt erfariit och i syn-
nerhet under de fyra åren, då mig vederfors lyckan at
i vitterlek och seder handleda Högvälborne Herr BA-
RONS och LIEUTENANTENS Hogfornäma Families
i dygd och ädelmod grönskande telningar, förf kra mig
at detta med samma ynnest uptages, som Högvälborne
Herr BARON och LIEUTENANTEN mig altid vär-
dats visa. Försynen har tildelt Högvälborne Herr BA-
RON och LIEUTENANTEN de egenskaper, som for-
tiena närvvarande och tilkommande tids beständiga är-
minne. Allmachten göre fordenskull Högvälborne
Herr BARONS och LIEUTENANTENS åhr tahlrika
och falla, så at Högvälborne Herr BARON och LIEU-
TENANTEN med långvarig fägnad, må s åda Sin
Hogfornäma Families välgång! Uti otvifvelachtig och
ödmjukaste tilforsicht, at de strålar, som af Högvälbor-
ne Herr BARONS och LIEUTENANTENS vanliga
ynnest falla på Des Clienter, varda äfven til mig, än-
kiönt ovärdigan, sig sträckande, framhärdar jag med
diup och ouphorlig vördnad

Högvälborne Herr BARONS och LIEUTENANTENS,

ödmjukaste tjänare,
JOHAN M. HAGERSTEIN.

HANDELMANNEN i Stapelstaden Åbo,
Högvälvachtad

Herr GUSTAV ADOLPH
WITFOOTH,

Min Gunstige PATRON.

W ishet och fanning är det mähl, til hvilket de förfuſtige
menniskor med flit böra richta sina tanckar. Detta
hafver ifrån verldenes början in til nu varit de om-
tancktare inillens fylla. De gamle Stoici tyckas härutinnan
hafva gjort vackra framſteg. Men när man vid förfuſtets ljus
nogare ſkiärfskådar deras tanckefäkt, värder man varſe, at en
stor del brukat dem mera til ſkryt än at utſorska vishets och
fannings rätta dyrđ. Detta är til en det viſadt i närvarande äm-
ne, hvareſt deras tanckar om tålamod förefällas. Jag hafver,
vid detta tiſſälle, i synnerhet bordt ihogkomma och med vörd-
nad anſe de mångfaldiga välgierningar, mig ständigt af Eder,
Gunſtige HERRE, vederfarne äro. Och oachtadt ſlikt ej ſva-
rar emot den gunſt jag af Eder åtniurit, fa har jag doch, at
dersore offenteligen framte ett ringa prof af mitt högförbundna
och tackſamma ſinne, tagit mig frihet, Eder, Gunſtige HER-
RE, detta arbete, i ödmjukhet at tilſkrifva, i fäker förhop-
ning, det med ynneſt och välvilja uptages. För öfrigt ſkal i
all min tid intet högre vara i min önskan, än at Gunſtige HER-
REN, med hela des kiära omvärdnad, må af en blid Förfyn
erſara all andelig och lekamlig fällhet til dens ousägeliga
fågnad, ſom ſkattar för heder och lycka, at, uti Gunſtige
HERRENS beständiga ynneſt innesluten, med oaflätelig til-
giſvenhet framleſva

*Högvälvachtade Herr HANDELMANNENS,
Min Gunſtige PATRONS,*

ödmjukे tjenare,
JOHAN M. HAGERSTEIN.

Doctissimo & Polissimo
VIRO-JUVENI,

D: NO JOHAN. M.
HAGERSTEIN,
S. P. D.
PRÆSES.

Sacerdotium in fano Philosophiae Moralis satis illius tri omni fere aeo calidae mortalium affectarunt curæ. Sed, cum tubum rectæ rationis optimum susque deque habuerint, mirum non est, in scriptis multorum, præcipue Moralibus, nihil fere præter ampullas & sesquipedalia occurrere verba. Alios autem ut silentio præteream, apud multos sane Porticentrum hoc utramque facit paginam. Adcuratori enim lima destituti conjecturam, in non paucis, fecerunt evanidam & incertam, multa rite non concludentes, & plurima ignorantes, vel negantes, quæ ex principiis rationis de jure fluant. Specimini loco esse possunt, quæ de Virtute PATIENTIA in laciniis & scriptis istius secta invenimus. De qua etiam PATIENTIA, cum nonnulla præsens in medium sistat disputatio, eorum sententias satis, ut opinor, exponit. Et, cum Tibi, Mi Amicissi-

me HAGERSTEIN, placuerit in illa \mathcal{E} edenda,
 \mathcal{E} defendenda operam collocare laude dignissimam;
nomen projecto officii civilis oblii a me vix amo-
verem, nisi bisce \mathcal{E} amorem, \mathcal{E} animum te-
starer gratissimum. Hac sane opera optime de
bonis meruisti Literis, \mathcal{E} adfatum monstrasti, Te
non tantum ceteris Scientiis omnibus, verum et
jam Morali in primis Philosophia strenuam na-
ware operam. Perge, DEO favente, sedulus bo-
nis invigilare Literis, \mathcal{E} quidquid vel Theologi-
cum, vel Philosophicum sit prudenter \mathcal{E} toleranter
amore prosequi maximo. Summum illud, quod
uras \mathcal{E} vigilias Tuas recte pensitat Numen,
Tibi semper adfuturum est, \mathcal{E} elogium atque
præmium Civis vere Literati aliquando retribuet
 \mathcal{E} expendet. Mihi sufficit publice indicasse, \mathcal{E}
quam multum amore Tui flagrem, \mathcal{E} quam
Tibi fausta quævis \mathcal{E} felicia impense exoptem.
Scribent. Aboæ, die XII. Novembr. An. MDCLLI.

PRÆ-



PRÆFATIO.

Ex virtutibus non parum eminet tot inter tanta que vita
hujus mala lene ac suavissimum Patientiæ non excutere
jugum. Cogitandum enim est non minorem, quam pru-
denter agere, Virtutem esse adversa equo ferre animo.
Neque quisquam, si vel maxime optima queque peregerit,
vitam transigere poterit felicem, nisi & idem mature adve-
siat, mala quævis masculæ vincere. Hic omnis est sapientie
scopus; bee omnium vivendi regularum summa; hoc
denique prudentie compendium universæ: Discere quæ
virtutis sunt prudenter agere, & adversa toleran-
ter pati. In his certe conspicimus hominem quamdiu vi-
xerit, uno pede via recte agendi, altero via toleranter pa-
tiendi perpetuo debere insistere, si cursum ad veram aliquando
felicitatem dirigere serio optaverit. Cum itaque tam nobilis &
necessaria ea sit Virtus, quam Augusto Patientiæ nomine ad-
pellamus, nec inutile, nec injucundum erit ulteriores de hac
lineas ducere. His ergo occupati, B. L., enixe rogamus, ut
benigniori hæc nostra ponderet judicio, nobisque mitiorem in-
dulgeat censuram, precipue cum nullis verborum phaleris
lenocinantes presens argumentum simpliciter
tractare studuerimus.

§. I.

Quemadmodum duplice lumine rationis
nimirum & gratiae divinioris gaudet ; ita
quoque duorum generum Virtutes nume-
rantur, quarum alias ratio dictat, alias Di-
vina gratia operatur. Eodem modo *Patiens-*
ia considerari potest, aliam ratio sana tradit, aliamve
Sanctior Morum doctrina nobis pensitandam sistit.
Neutra suis destituitur fuleris. Dolendum vero est
eam , quam antiqui Stoici, quos heic, tantum non
omnes, præcipue intelligimus , in medium produxe-
runt *Patientiam*, splendida satis titulorum præ se terre
nomina, nec non manudictiones continere primo in-
tuitu visu egregias , sed factu difficiles , immo impos-
sibiles. Hinc de illis **JUSTUS LIPSIUS** , Professor olim
Historiarum Univers. Lovaniensis , licet & ipse amore
hujus Sectæ flagraverit, in Præfatione manud. ad Phi-
los. Stoicam : *Quid quod, inquit, PHARISÆI olim inter*
Judeos secta nobilis, ad hanc Stoicam proxime accesserunt. Et
Celeb. **LAURENT. REINHARDUS** in *Histor. Phil. Morals*
§. V. de Stoicis pronunciat : *Plerique maximi fuerunt by-*
ocrite. Multa habent, que Christianorum dogmatibus prope
accedere videantur; sed si larvam detraxeris, anguis sub herba
latens adparebit. **BAELIUS** ergo eos *PHARISÆOS* vocat *Pa-*
ganismi.

§. II.

A pud gentilium Stoicos solidius non invenimus pa-
tientia fundamentum , quam quod ex tubeunda
fati , ut loqvuntur , prorsus non evitandi necessitate
fluat.

Auat. Verum, quantum Patientie fulcrum ! Quis enim quæso a te impetrare potest, ut tot tantaque vitæ hujus mala, solius cuiusdam, quod evitari nequit, fati causa, quod album an atrum sit, prorsus nescit, æque sustineat ? Nec melioris indolis est, quod pariter apud illos non raro deprehenditur, operam scilicet esse dandam, ut homo affectus penitus exuat, atque sic dolores, quos non amplius sentiat, quasi nihil sustinens, perferre queat. Ecquis enim quamdiu mortali cinctus est corpore, ita de se avellere poterit istas humanæ naturæ proprietates, quæ nunquam non hominem comitantur. En ! Virtutis hujus fundamentum præceps & lubricum, Etenim cum hoc humanarum non fiat virium, intelligitur quoque eidem ædificium Virtutis superstrui posse nullum. Quid de gloria immortalis ejusque cupidine dicendum est, quam etiam hi tanquam hujus virtutis fundamentum, commendare solebant ? Negari quidem non potest, huncce elati animi motum tam multum ipsis placere, ut virtutes fere omnes vel ex illo solo derivant. An vero tantis ille viribus gaudeat, ut idem nunc animi langvori succurrere, nunc abstergere dolorem, nunc refrenare furorem possit, est de quo omnino dubitamus. Adeoque veræ virtutis splendidum ea non meretur nomen, quæ huic tantum innititur fundamento.

§. III.

Virtutis hujus longe firmiora initia & fulcra sanæ rationis morum nobis præbet doctrina. Ostendens hominis gentilis & rationis ductum rite sequentis animum posse amoris DEI in suo genere veri capacem

esse, quod, invito licet CHRISTIANO THOMASIO, admittimus. Mens ideo hoc modo confusa DEO patientie quoque studet, licet hoc sit timida & infirma ratione. Deinde, cum officiorum quæ DEO ac viræ nostræ locis debemus nexus sit admirandus, animus certe, vi obligationis naturalis, DEI hominumque amans, quæ oboriuntur adverba toleranter sustinet, nec extra se ipsum, ulciscendi cupidine, temere rapitur. Ergo ad omnes vehementes mentis motus sedulo attendit, finem eorum respicit, & si inordinati sint, ne in actiones irrumpant circumspecte cohibet. Diligentem itaque hortulanum hoc in negotio imitatur, & principiis obstat. Homini enim ratio a natura data est, qua animi appetitus regantur, eleganter pronunciat CICERO de natura Deor. lib. 2.

§. IV.

EX his palam collocatis & supra dictis intelligi potest, quisnam ille sit, ac esse debeat, qui ledulus hujus virtutis censeri queat sectator. Hominem esse magno animo præditum dumeta respondebunt Stoicorum. At, nemo tam est ignarus quin intelligat hoc modo repeti de quibus §. II. dictum est. Hominem porro sapientum placitis innutritum iidem adjiciunt. Non facile inficias eo, eorum disciplinæ additos, de hac virtute multa subtiliter, quin & subdole admodum differere posse. Verum in doctrinæ hujus exercitio nihil aliud efficiunt, quam se suosque disputationum & interrogacionum laqueis irretitos, tristibus ineptiis patientia vera privant. Rem tandem acu se tetigisse Schola putabit Stoica, si hominem affer-

Eibus

Eibus extuendis Studentem, sacram tuus virtutis templum esse dixerit. Sed tantum abest, ut hoc ipso aliquem virtuti huic idoneum nominent, verum potius eandem, pro sua detrita fronte, conatu giganteo procribant. Etenim, cum nemo id efficere valeat, nein quoque huic virtuti idoneus censeri poterit. Et si vel maxime eo progredi homo posset, nullus tamen in eo *Patientie* locus eset, cum, qui nihil sentiat, *Patiens-tia* quoque non meretur laudem.

§. V.

IN subsidium itaque iterum vocanda est senior illa morum doctrina, quæ diserte copioseque nos edocet, neminem nobilissimæ tuus virtutis sectatorem fieri posse, nisi legis naturalis probe gnarus. Illius enim cognitione, ubi solide imbutus fuerit animus, quæ ipsi eveniunt aduersa, nec cœco alicui *fato*, nec fortuitis casibus, nec denique malo cuidam spiritui, sed DEO soli sapienti, cuius Divina providentia, & mundus & omnia in eo administrantur, tribuit. Et illud quidem ubi felicem cognoverit, nec altius abstrusa DEI consilia riniari sustinet, sed sua sorte contentus, *Patientie* studet. Unde recte hoc sensu, *EPICRTTUS*, licet & ipse Stoicus: *Constitui*, inquit, & *conformavi voluntatem meam voluntati Divinae*. *Vult me febricitare & ego volo*, aliquid aggredi, volo, potiri, volo. Vid. *Liphium I. c. p. 510.*

§. VI.

TAM vero ipsum illud, in quo virtutum hæcce pulcerrima tele conspiciendam exhibit, theatrum contemplabimur. Ea scilicet, quæ Augustæ huic virtuti,

tutū, præclarām suā ostendendi indolem, ansām præbent opportunam, mala an adverſa dicam? ejus sunt indolis, ut dura & superatu difficultia videantur. Quotquot has terras mala exagitant, tot *Patientie* caſtra, & tot certamina ſe objiciunt, in quibus vel tirocinia ponere, vel victoriam reportare poſsumus. Neque hic inventorum Zenonis Æmuli ſāni quid docebant. Etenim his iſpis, quæ ſecum fert lors humana, malis, non contenti, mala ſcēpe numero ſponte conciliata addebat, atque ſic quaſi communia iſta mala, *Patientie* ſuæ, mirum in modum exuberanti non luſſicerent, iſpi ſibi, quæ horum erat temeritas! mala atque miferias contrahere edocebantur. Fidem his tribuat omnis, qui male ſana horum apud GELLIUM, PLUTARCHUM, CICERONEM, aliosque placita tum de obeundis & luſtinendis quibuscumque, quæ etiam evitari poſſent, periculis, modo gloriā pariant, tum etiam de parata morte violentis manibus, neglecto omni mortis dolore, fiat id modo glorioſe, ſibi inferenda, ſecum perpenderit.

§. VII.

INgens immanisque molis foret, omnia, quæ vita hæc mifera ſecum trahit, mala atque adverſa reſenſere; neque major inde redundant utilitas, ſi quæ de classib⁹ iſtorum ſubtilius diſputari poſſent multis perlequerer. Duorum itaque generum omnes facio calamitates & ærumnas, quæ mortalia vexare ſolent pectora: alias adverſa fortuna, alias hostium malitia excitatas. Neutras, DEo non permittente, fieri novimus. Ceterum nec plura ſibi mala conciliat, nec, quæ

quæ DEO volente, ipsi eveniunt pro malis, sed tantum pro adversis reputat, quæ, cum a DEO, vel infligente vel permittente descendant, non magis in se mala esse possunt, ac DEUS ipse, qui sane optimus est, quod protectio omnis, qui accuratissimum & perfectissimum attributorum Divinorum æquilibrium observare potest, admittere necessum habet.

§. VIII.

Summæ vero hujus virtutis naturam atque indolem propiori adspectu mirabundi contemplabimur. At, si uspiam, hic tane discimus,

quid distent era lupinis.

Ista etenim, quam gentiles hi ja*cabant*, *Patientia*, nihil aliud erat, quam vana quædam animi, reficiens affectibus omnibus, simulatio, & denique in illum animi statum definebat, quem *anadsiay* dixerat. Ejusmodi vero hominem nec extitisse, nec existere posse, nemo dubitat, qui ignoraverit, quid sit, esse hominem.

§. IX.

Non destruenda igitur est omnis volendi facultas, quippe innata, non eradicandi & proscribendi affectus, quippe naturales & insiti in animis nostris; sed ita hoc effectui dandum est, ut intellectus & voluntas hominis, quod suum est rite obseruent officium. Qualis enim conceptus, talis inde oritur affectus. Mens ergo ad nihil se determinare debet, cuius non distinctam habet perceptionem. Nam licet *patientia*, ut virtus moralis ex voluntate proficitur, ei tamen prælucere debet intellectus. Ex hoc demum fonte fluit vera illa, quæ *splendidum* virtutis meretur titulum

lum *Patientia*, quæ vanam illam & a religione remota
tam umbram longe & multum antecedit. Nihil ergo
impedit, quominus de hac nostra, idem quod veteres
olim de virtute in genere, judicium feramus: tantam
“scilicet illius esse pulcritudinem, ut si oculis se usur-
“pandam præberet, neminem non illam amore pro-
“fecurum fore, certum sit.

§. X.

Mira equidem de sua *Patientia* jaetabant Stoici, ur-
gentes summam illius necessitatem, & dicentes
eadem neminem mortalium carere posse; at falsa pro-
sus fictaque ratione, statuebant, necessitatem illam
non aliunde, quam ex necessario quodam *fato* deri-
vandam esse. Laudibus ad cœlum usque extollebant
utilitatem virtutis hujus maximam, quam ut illi, si
vera sit, non denegamus: Ita nec protano isti virtutis
simulacro concedere id laudis possumus. Contra tefta
& veteratoria eam simulatio comitabatur, ut, qui ma-
ximam, quævis perpetiendi virtutem ostentare vole-
bant, pessimas interdum, detracta modo larva affimi-
latæ Virtutis, ipsi sibimet maculas inurerent. Qui
adeo nobilitati ipsius verum non statuerunt pretium.

§. XI.

VEra enim *Patientia* adversus vitæ hujus mala me-
dicinam quasi parat universalem. Solida igitur
illa, non simulata virtus est, non umbra, non vanum
virtutis exemplar. Nobile est istius, quod meretur
nomen: nobilior indoles: proprietates longe nobilis-
simæ. Neque vero, quod tam rara sit hæc virtus in
terris,

terris, ejus præstantiæ quidquam derogat, cum præstantissimum quodque rarissimum esse, nobis constet.

§. XII.

Non ignobilior ipsa Virtute nostra finis est, ad quem tota cursum dirigit suum. Quotquot Stoicorum de hæc, virtute differentes legimus, nihil fere, præter vanæ confectionem gloriæ, hujus virtutis scopum fecisse, certum est. Quasi vero eam tantum ob causam colenda esset Virtutum hæc nobilissima, ut incertas posteritatis laudes, ista juvante, aucuparemur.

§ XIII.

Sed longe præstantioremetam Virtuti nostræ sana præfigit ratio. Nam non in hominum gratiam *Patientie* studet, sed propter DEUM, cuius voluntatem & præcepta in lege naturali, voce illa DEI, occurrentia violare netas ducit: Nec suas hac Virtute laudes divulgare, sed Summi NUMINIS gloriam amplificare & celebrare unice & singulariter intendit, accuratissime perpendens quantum decoris accedit illic, qui genuinam rationis doctrinam profitentur non ore tantum, sed & factis id comprobent ita, ut studeant non animo tantum sapere ac verbis proloqui, sed etiam ipso facere opere, quemadmodum mandata legis naturalis requirunt. Quod si rite effetu derur *Patientia* nostra hominibus contra multas calamitates robur addit maximum. Summam igitur Virtutis nostræ præstantian, vel ex his dijudicabit ille, qui virtutum ac viotorum pondera ex scopo singularum actionum æstimare didicerit.

§. XIV.

Ilius vero mirifica indoles adhuc illustrior erit, si quæ & quanta efficere possit adcuratius expendimus. Profana illa Virtus non meliora, quam ipsa erat producere poterat. Sequebatur eam non raro summa temeritas, ut maxima quæque audendi libido incederet. Putabant enim vires suas, ut nulli ferendo oneri impares; ita & cuivis tuticipiendo operi, eidemque vel periculosisimo, pares esse, quod si ex voto non cesserit, *patientiam* illorum statim eis præsto futuram. Hinc etiam vix ferenda apud illos ambitio, quæ eos præcipue occupabat, qui majorem præ ceteris *Patientie* gradum attigisse, sibi videbantur. Hi enim cum omnibus se animi motibus immunes jactarent, sibi lapientum ambire titulum, reliquis despectis & pro nihil habitis, non dubitabant. Nec tamen desperatio procul aberat, frequens profanæ istius Virtutis evenitus, quæ eo sæpenumero mileros adegit istos *Patientie* Sectatores, ut cum vincendis effervescentibus animi motibus longe se impares sentirent, mortem sibi ipsi, velut *Patientie* omnis pertæsi, violentis manibus consenserent. Interdum pessimo hujus virtutis abusu in stultum ejusmodi vitium incidebant, quod non potest non cuivis erectioris latem indolis displicere. Ut scilicet omnibus summa eorum *Patientia* eo melius innotesceret, sordida sæpe vivendi ratione se omnium contemtui ultro exponebant, nec illatas injurias, quas, si sibi consulere, & scelestos emendare voluissent, retorquere facile potuissent, nullo modo se animadverte-re simulabant, singulari admodum genio decepti,

sum-

summam Patientie gloriam esse , a plurimis despici ,
putantes , quam Patientiam asinianam jure summo
dixeris.

§. XV.

Nobilissima vero bona sanior rationis doctrinā de
hac virtute cultoribus suis promittit , utpote quie-
tem & tranquillitatem animi non contemnendam . Ra-
tio vero heic imperfectionis suae convincitur , & divi-
num ut queratur auxilium svadet .

§. XVI.

PRæterea cum summo genere nostra orta sit virtus ,
nefas sane erit eas Virtutes silentii peplo & sifario
involvere , quæ propinqua ei sunt cognatione conjun-
ctæ . Illi olim , quorum sæpius mentionem fecimus ,
duas præcipue virtutes , magnanimitatem atque con-
stantiam , tanquam lectissimas Patientie forores , cele-
brabant , quarum illa nulli oneri suscipiendo impar
sit , hæc nulli diutius ferendo succumbat . At , nulla
hic , & quid mirum ! pietatis mentio , cui tamen tan-
quam summæ omnium virtutum Reginæ , ipsa quoque
hæc nostra sponte vela submittit , quia cum Divina hac
arctissimo satis vinculo juncta est . Hinc CICERO : cul-
tus , inquit , Deorum est optimus , idemque castissimus , atque
sanctissimus , plenissimusque pietatis , ut eos semper pura , in-
tegra , incorrupta & mente & voce veneremur . Lib. 2. de
Nat. Deor.

§. XVII.

ET re ipsa eo excellentior est nostra virtus , quo ma-
gis de Regia ejusmodi consanguinitate & profa-
pia sibi gratulatur ; qua cum gloriari & lætari non
possit

possit profana ista virtus, omnem dignitatem perdidisse necesse est. Neque illius nostram cognitionis luppenudet, quæ cum modestiæ Virtute ipsi intercedit. Quæ protecto tam propinqua est, ut nisi nimium nostri amorem, quem Philautias illicitæ insignimus nomine, ac nimis arrogantem nostri ipius estimacionem repudiaverimus, veræ *Patientie* unquam nec amore, nec amplexibus digni habeamur. Et quidni huc egregiam mansuetudinem referam? cuius universalia facies, compositio membrorum & conformatio lineamentorum evincit, ex eodem illam, atque hanc nostram thalamo ortum habere. Nihil enim alperi, nihil acerbi, nihil denique difficultis ac morosi in eo reperiatur necesse est, qui in virtutis hujus delubro sacra obire decrevit.

§. XVIII.

QUæ autem illi ex contraria parte opponuntur *vitia*, fugitivo tantum oculo adspiciemus, ne crassis suis tenebris lucem nobis fortassis intercipiant. Neque tamen immorabitur illis, quæ false partim, partim minus adcurate a Stoicis eorumque locis afferri solent. Huic scilicet Virtuti contrariam centuerunt demissam quamvis & humilem animi conditionem, quæ in se tamen nec bona, nec mala est, etiamsi in alterutram partem inclinare possit. Quin immo, si rem adcuratius scrutemur, virtutum classi potius, quam vitiis annumerari debet, quippe quæ ab ipsis *Patientie* finibus non plane exul centenda est. Nimiam certe sui estimationem homo abjecere & deponere debet antequam *Patientie* pectus suum consecrare & dedicare

dicare potest. Cum autem iidem quamvis affectuum animi ostensionem & demonstrationem Virtuti huic contrariam esse, judicarent, ipsam ei naturam hominis contrariam judicasse, contendunt sunt, quippe cuius non est, omnes animi motus extingvere, quamvis eosdem aliquomodo supprimere possit.

§. XIX.

Procul ergo hinc recedat, solio jam dejecta tuo, vana illa Virtutis umbra *Patientia Stoica*, atque non ab hominibus, sed a Saxis lapidibusque in Stoa, si fieri potest, colatur. Exulet omnis facta & simulata Virtus, quæ multa se toleranter perpeti, pestima nequitia fingit, animo interea perpetuis fluctibus inquieti instar maris, exagitato. Expellatur effeminata illa mollities, quæ vel levissimo oneri tergum subtrahit, humerosque iubducit. Transeat immanis iste turor, qui trena morderet, inconditoque murmure divina quævis lacerat, ac hominem belluis vastificis ferociorem fere reddit. Procul hinc, procul omnia estote profana vitia & nemini unquam nostræ huic egregiæ sacra tacturo obstrepere conanimi!

§. XX.

DExtracta hoc modo larva *Patientia Stoicorum* hanc, ex mente eorum, subnectimus effigiem, eam scilicet esse Virtutem (quanquam nihilminus est) in adversis adhibendam. Quia homo sapientum placitis innutritus, ac sapientiæ viam jam ingressus, omnia quæ sibi, vel faro sic urgente, vel calu, vel a se ipso contracta mala eveniunt, sine omni animi motu se constanter perferrere simulat, atque præterea ab omni

eo,

eo , quod vulgare censeri , vel de interno quodam me-
tu testari posset , sollicite abstinet , ut immortalem sibi
famam conciliet , quo ipso tamen plurimum ad sum-
mam temeritatem , ambitionem & desperationem ,
quin & torpidam interdum vitam delabitur .

§. XXI.

Altera vero , quam senior rationis doctrina expo-
nit *Patientia* , est virtus in adversis conspicua , qua
homo genuinis rationis & Legis Naturalis præceptis
imbutus , omnia , quæ provida DEI cura ipsi adverfa
eveniunt , debito , erga DEUM , obsequio , toleranter
perfert , omnemque a se & simulationem , & molli-
tiem , & furorem abesse jubet , ut voluntati Divinæ
morem gerat quo ipso animi tranquillitatem servare
studer , summamque anhelat felicitatem .

§. XXII.

Ade a nunc progredientibus , quæ ad ipsum virtu-
tis hujus exercitium proprius pertinent , amplissi-
mus lane disputationis se aperiret campus , nisi eorum
in præsenti , ne nimiam in molem accrescat opella ,
primæ tantum ducendæ essent lineæ . In ipso limine
personare mihi aures videntur argumentis illis , quibus
Stoicorum disciplina , ad *Patientie* exercendam virtu-
tem suos adhortatur . Necesse est , inquiunt , morta-
les , ut eam , quæ vos urget , sentientes necessitatem ,
fato deluper cervicibus Vestris incumbenti Vos uni-
versos permittatis . Neque enim si vel omnein , quæ
hominis modo est , & prudentiam adhibueritis , & o-
peram , effici a Vobis poterit , ut ea , quæ in *fatis* sunt
vel latum ungvem minuatis . Tantum siquidem ,
tamque

quamque latissime patens fatorum est in has terras regi-
men, ut quidquid homo genitum est, illi se subduce-
re non possit. Quo enim cuncte oculis pertingere
datum est, innumeros cernitis ubique vestrae condi-
tioni similes, quin & vestra deteriores. Nefas ergo
est, cum sitis homines nati, aliam, quam hominibus
communem sortem, hoc est ærumnis quibusvis, mi-
feriusque expositam, Vobis exoptare. Cessate igitur
Vestram acculare fortunam, & sorti, quæ nobiscum
nata fuit succensere. Quid enim hoc quæso, esset a-
liud, quam id ipsum indignari, quod natura, Vos
esse homines, voluit? In illos potius convertite ocu-
los, qui virtutis & constantiae laude immortale sibi
apud posteros omnes nomen pepererant. Illi certe,
cum sepe infelicissimi essem, ideo se non putarunt in-
felices, quod tuam, hoc est humanam sortem perfer-
re didicerant. Atque iidem, cum a plurimis, qui
meliori truerentur fortuna, dignissimi haberentur,
suæ ipse succentere, nunquam sunt nisi, quin cum ho-
mines essem, quidquam a se humani alienum ne qui-
dem exoptarunt. SCIPIONES cogitate, CATONES, RE-
GULOS, METELLOS, omnes in universum hercés, qui
& famam & fortunam vincentes strenue se ipsis pro-
pemodum majores fuisse videntur. Hæc itaque &
Vobis ad immortalem gloriam minime præclita via
est, quam, si modo constanter ingredi, non recula-
veritis, Vestrae Virtutis exemplum sapientissima quæ-
que posteritos; summis omnino laudibus æternum
celebrabit. Quæ e contrario abjectos illos & effemina-
tos contumelia manet! quorum quippe pectora ani-
mam

mam feminea debiliorem, ac spiritum homine indignum inhabitasse, omne ævum judicabit. Hæc ubi Vos non dum moverint, tandem revocate ad animum, quantæ sint humanæ fortis vicissitudines. Hiemem æstas, lucem tenebræ excipient. Omnia scutum rerum, sic fatorum vices sunt. Neque enim si nunc male, & olim sic erit. Tempora igitur in iisque Vos ipsos patiamini, scientes fortunam contemnentem contemnere, ut illa in admirationem Vestri raptam, meliore nos sorte dignos judicare dicat.

§. XXIII.

Hic desinit Philoſophus Stoicus animo infelici in hæſitatione relieto. Ille igitur, quando hæc argументa penitus rimatur, veritatem in quibusdam, in singulis valorem desiderat exclamans: Eheu vero! hem sane te fallum, qui omnes mihi vitæ confortes æque miseros esse perſuadere cupis, cum tamen plurimos meliori sorte gaudentes, aliquos etiam summa, quam modo hæ terræ capiunt, felicitate saturatos, hisce oculis intuear. Quid ad me heroum exempla? an ergo eadem eodem animo pati possum, iisdem viribus non instructus? Quid me gloria tangat? haud sane illius me fensus ullus afficiet, in miseriis mortuum. Nec propter incertas laudes, quæ ab hominum opinione pendent, ac nobiscum per sepe moriuntur, tantas, ut æquo animo perferam ærumnas a me impetrare possum. Sit turpe, sit dishonestum, sit denique fortis sapientique Viro indignum, calus suos fortunamque dolere. Certe non mei solius hoc exemplum erit, qui complures, & fortes & sapientes Viros isthac

isthac in re socios advocare possum. Nec denique spes me futurorum ulla , ad toleranda præsentia mala vel allicit vel invitat. Ea enim, quæ metuo , quam quæ sperem longe plura sunt atque potiora. Et quid meliora speravero ? meliora sperandi ansam fortuna quamdiu noverca est mihi omnem præcidit. Illud ergo ex omnibus unum superesse videtur, ut quos leni Patientia declinare non possum causas , audaci forsan trementique furore repellam.

§. XXIV.

ATque ex his, quæ e profana Stoicorum disciplina paulo altius repetii, tatis dilucide cuivis innotelcre putamus , ad commendandam Patientie summam Virtutem , quam non sit tota eorum ratio idonea , ad assentiendum vero quam imbecillis. In faustis certe hite similes sunt Alchemistis , qui ex metallis nobilissimam extracturi partem , eum laboris sui habent frumentum, ut spem , cum sumo ex camino autugere videant. Quod hi miteri suæ infelicitatis experimento satis superque comprobant.

§. XXV.

MUltis ergo parasangis rectæ rationis doctrina Patientie gentilium horum superat dogmata. Hæc enim motiva hujus exercendæ Virtutis, pondere, gaudentia , summo ostendit. Quorum non infimum est, quod voluntas hæc est summi Legislatoris, cui morem

gerere obstricti sumus omnes. Et quis nostrum adeo a linea deviaret recta, tantaque abriperetur temeritate, ut huic non esset obediens. Nam, quidquid DEUS vult ad perfectionem & felicitatem nostri tendit summam, hanc vero omnes rite rem penitantes affectant, nulla igitur est causa cur nobilissimam non sectaremur Virtutem *Patientie*. Qui enim vult finem velle etiam debet media ad finem tendentia. Jucundissima præterea est iis, qui eam didicerunt, adeo ut hac carere nequeamus. Homo quippe est ut viator in prærupto ambulans monte, cui profunda vallis & infida aqua vicina est, *prudentia* ideo opus est & cum hac amicissimo vinculo conjungenda est *Patientia*.

§. XXVI.

Hanc igitur affectantibus Helenam Stoici id subministrant consilii, ut mature usu doceatur, diligentissime exerceatur, & affectus quotidie relegentur. Duo equidem illa priora admittimus momenta, posterius vero proscribimus, addentes subsidia altioris luminis, hoc est revelationis, de quibus, quoniam in foro versamur Philosophico, heic agere non licet.

§. XXVII.

Omni proinde conatu in id enitendum est, ex sententia Stoicorum, ut quilibet animi motus, nimius rerum extra nos positarum sensus, & falla doloris aestimatio, in exilium ejificantur. Sed, ut in aliis; ita & heic

& heic aberrant. Omnes enim animi motus impedi-
re hominis non est. Divina enim opus est manu, Di-
vino verbo & spiritu, si ex hoc prælio victor discedas.
Sentus rerum extra nos positarum debet esse medio-
cris, sed Stoicorum sensatio est hypocrita, quod etiam
de illorum doloris aestimatione pronunciamus. Spe-
ciatim vero & nominatiū certamen cum tribus illis
vitiosis motibus sic dictis cardinalibus Avaritia, ambi-
tione, & voluptate est ineundū, quo hæresin evite-
mus doctam, atque præstantissimæ hujus virtutis iter
ingrediamur.

§. XXVIII.

Licit ergo veritas hæc gaudeat lumine satis splendi-
do, fatendum tamen uno plures Patientia dari
gradus. Heic enim, ut in aliarum Virtutum exerci-
cio, nihil humani est primo conamine completurn. Faustis Patientiam colere initis, laude dignum est, in
illa pergere laudabilius, in illa vero perseverare cele-
bratissimum omni habitum est ævo, quod etiam amce-
na nos docet experientia.

§. XXIX.

Patientiam ergo lumen & cynosuram actionum hu-
manarum, *ισχὺν, τείχον, & ὅπλον σεφεῦ*, nec non
τῆς διανοιας ὄλην, atque Θεὸν μέγαν suo modo vere dici-
mus. Patientia enim cum pietate & Prudentia juncta
tantum ceteras superat Virtutes, quantum virtus, ex
sententia BIONIS, reliquis antecellit sensibus. Hæc
itaque

itaque Patientia maximis extollenda est encomiis, ut
pote quæ summa gaudet utilitate, tam in vita rite,
honeste, & tranquille transfigenda, quam etiam in
manuductione ad illud lumen, quod veram nobis pol-
licetur felicitatem, qua ornati hoc tandem no-
strum emblemata erit dulcissimum;

Tandem Patientia Victrix,

S. D. G. S.

